



Comitatus Zutphania

<https://hdl.handle.net/1874/352104>



VIII B 936

COMITATUS ZUTPHANIÆ.

liberis legitimis viveret, titulum Geldriæ Ducatus omitteret: Cæsar numeraret 35000 florenorum millia & annuatim ex his viginti millia. Subditi pro suo libitu quaquaversum migrarent solutis ordinariis pensis. Bona per Fiscum sequestrata restituerentur. Ultrajectini solverent Carolo Duci viginti florenorum millia, pro quibus nummis omnem in illos actionem abdicaret. Captivi utrinque sine ullo mulctæ respectu dimitterentur. Hi articuli spatio dierum quatuordecim per totam Regionem publicarentur. Actum decimo Decembris anni 1536. His ita transactis, spatio duorum annorum post, Carolus Gelriæ Dux septuagenarius obiit sine liberis legitimo thoro natis, & sic vigore pactorum supradictorum Comitatus Gelriæ & Zutphaniæ devolutus est ad Carolum v Imperatorem. Nilominus ob odium & invidiam quâ in Burgundiones eorumque hæredes flagrabat, Comitatum Gelriæ & Zutphaniæ per transactionem, Ordinibus Provinciæ consentientibus, omnique ansa bellorum evitante, Duci Iuliacensi, Clivenfi & Bergensi obtulit. Huic juramento dato sex annis præfuit ditionibus. Sed deficientibus ab eo Geldris, cum Carolo V convenit illique prædictos Comitatus cessit, Principatibus his ad filium Philippum translatis, quos Hispanus in hodiernum diem eo titulo sibi vindicat.

Cum autem Gelriæ duces etiam Domini Zutphaniæ Comitatus fuerunt, placuit Gelriæ & Zutphaniæ Comitum & Ducum seriem adponere, quæ sic se habet:

Comites.

Otto Comes Nassavius anno 1079 ab Henrico IV Imperatore Francofurti ad Moenum Comitatus Gelriæ ac Zutphaniæ titulum & investituram obtinuit, ducta primum Adelheida filia atque unica hærede Wichardi Comitatus à Ponte, postremi Gelriæ tutoris, deinde Sophia fil. Wichmanni Comitatus Zutphaniæ. Obiit anno 1107.

Gerardus Ottonis filius duxit in uxorem Hedwigin, sive Hadewinim Florentii II Comitatus Hollandiæ filiam. Obiit anno 1131.

Henricus Gerardi filius duxit in uxorem Seinaram Godefridi III Brabantiæ Ducis filiam, quæ illi dotis nomine Veluam attulit anno 1162.

Gerardus II Henrici filius obiit sine liberis anno 1180.

Otto III Gerardi frater, duxit in uxorem Ri-

chardam Comitatus Iuliacensis filiam. obiit anno 1202.

Gerardus III Ottonis filius duxit in uxorem Philippam Comitatus Fani S. Pauli filiam. obiit anno 1271.

Reinoldus Ottonis filius dictus bellicosus. Obiit in carcere à filio suo captus, anno 1325. Duxes

Reinoldus II Reinoldi fil. primus Ducis titulum à Ludovico Bavaro Imperatore accepit.

Reinoldus III Reinoldi prioris filius obiit sine liberis anno 1371.

Gulielmus, Mariæ quæ Gulielmo IV Comiti Iuliacensi nupsit, filius, duxit in uxorem Catharinam Alberti Baviaræ Ducis & Hollandiæ Comitatus filiam, obiit sine liberis anno 1402.

Reinoldus IV, Gulielmi frater, Dux Iuliacensis & Gelriæ, obiit anno 1423.

Arnoldus Egmondanus Ioannæ, è filia Maria, quæ Ioanni Dynastæ Egmondano nupsit, nepos. Hic Carolo Burgundiæ Duci Ducatû suum cessit, cessionem approbante Frederico Imperatore anno 1478.

Adolphus Arnoldi filius detruso in carcerem patre, Principatum invasit. Periit in bello anno 1477.

Carolus Burgundus, hoc titulo atque armis Gelriæ possessionem consecutus eam tenuit ad annum 1476, quo ad Nancejum S. Ian. occubuit.

Maria Caroli filia, Maximiliani Austriaci uxor Ducatum à Gelris, ab ipsa statim deficientibus, vix obtinuit; nam Adolpho cæso Gelri Catharinæ illius sorori administrationem Ducatus tradiderunt, quæ prudenter aliquot annis illum administravit, donec Carolus adolefceret.

Carolus Egmondanus, Adolphi filius, Arnoldi nepos ab Ordinibus Gelriæ à Gallia evocatus, Gelriæ Dux & Zutphaniæ Comes inauguratus obiit sine liberis 1539.

Gulielmus Dux Iuliaci & Cliviæ & Bergensis, ex Ioanne Duce Cliviæ & Maria Wilhelmi Ducis Iuliacensis filia natus, ab Ordinibus Gelriæ vivo adhuc Carolo Egmondano ascitus atque inauguratus, cessit Carolo V anno 1543.

Carolus V Imperator & ipso resignante anno 1555.

Philippus II Hispaniarum Rex, quem Gelria cum ceteris provinciis fœderatis anno 1580, ejuravit.

COMITATUS ZUTPHANIÆ.



ZUTPHANIÆ Comitatus nomen habet à Metropoli cui & humilitas & paludes contiguæ dederunt nomen, quæ vulgari lingua *Veenen* dicuntur. Complectitur oppida territoriaque sequentia:

Doesburgum, Deutecomium, Lochemium, Grollam, Bredefortium atque Bronckhorstium opida, quamvis ultimum istud titulos oppidi comitalisque distincti, ac sub hoc quadrantis capite Zutphaniensis comprehensi, inscribat. Territoria verò sunt oppidorum jam enumeratorum præfecturæ, præter quorum præfectos est aliquis Generalis Droffartus Comitatus Zutphaniæ. Cæterum continetur adhuc hoc ipso quadrante Zutphaniensi opidum comitalisque T'herenbergensis. In Ecclesiasticis quondam paruit Episcopo Monasteriensi.

Zutphania.

Adjacet civitas Zutphania dextere ripæ fluminis Isalæ, loco quem Plinius & Pomponius Mela Flevum nominant. Interfluit urbem & fluvius *Berkela*, qui Isalæ ad eam commiscetur. Distat Teutoburgo quidem sesquileucâ, Arnheimio vero circiter quatuor, Noviomago denique sex plus minus leucarum itinere. Opidum sane lautum & cum publicis privatisque domibus, tum cenobiiis quoque ac templis; præsertim vero insigni Canonicorum collegio, cui & Præpositus suus atque Decanus est, & primaria Divæ Walpurgis æde nobili conspicuum, operis valde antiqui quod studio equidem videtur factum, judicabant enim majores nostri sapientissimi (vigente prisca & sincera fide) decere, ut sacra & pietati dicata loca, primo statim sui ingressu splenderent gloria & decore, ut ea adeuntibus venerationem piam incuterent non tantum, sed & timorem. Zutphaniâ ortus est clarus ille & doctus scriptor Gerardus, cuius meminit Abbas Trithemius, & præter hunc habuit Ioannem Vortrusium, Præpositum Daventriensem præfulem valde doctum, præsertim antiquum scriptorem, & ætoremque pulcherrimi illius opusculi, quod inscribitur Phoenix.

Doesburgum.

Doesburgum, ut volunt scriptores aliquot neoterici, id est illud est oppidum, quod Cornelius Tacitus *Molourgium* nominat. Alii, quibus quod verisimilia magis tractant, majorem hæc urbem conditum esse affirmant ab Druso Nerone, ad fauces videlicet nobilis fossæ Drusianæ & à conditore Drusoburgum dictum. Dissimulatur Neomago tantum leucæ unius itinere,

re, estque opidum pulchrum, frequens, ac valde admodum nuper adversus hostiles insultus munitum, prætereaque Obsidione Caroli v Imperatoris valde nobilitatum.

Grolla Bredefortio distat duabus leucis, quam obsidione cinxit anno 1627 Fridericus Henricus Princeps Aurafinus & invasit, frustra Hispanis hinc & inde suas copias in obstaculum colligentibus.

Bredefortium totidem leucis abest Anholto, suo munimine firmum.

Bronckhorstium adjacet dextere ripæ fluminis Isalæ, unâ tantum Zutphania leucâ disjunctum, oppidulum neutiquam contemnendû & Comitatus dignitate ideoque & peculiari Dynasta conspicuum.

T'herenbergia sesquileucæ itinere distat Doetecomio, estque oppidum satis concinnum & territorium ejus latè porrectum, ut Comitatus gaudeat titulo, cuius Comes est modernus Princeps Aurafinus.

Doetecom ad veterem Isalæ ripam visitur uno miliari Duyfburgo distans oppidum satis mediocre, prope quod Henricus nomine primus Comes Gelriæ celebre cœnobium instituit *Bethlem* nominatû, continuis bellis misere direptum.

Accessit Comitatus Zutphaniensis ditioni Principum Gelriæ, matrimonio inter Ottonem primum Geldriæ Comitem & Corlacci Comitatus Zutphaniensis filiam inito anno Christi 1082. Post illum Carolus Egmondanus Adolphi filius, qui cum multis aliis dominis à Ludovico Gallie rege captus fuit. Hic Carolus valde bellicosus fuit, qui cum suis vicinis diuturna bella sustinuit contra Albertum Saxonem Flandriæ Fœdarium & postea cum Carolo v Philippi Regis Hispaniarum successore. Tandè inter hos pax composita est Gorici anno 1527 & Graviæ 1536 ea conditione, ut Geldriæ Dux fœdus cum Gallis compositum & Holsteiniis & Danis, plane resignaret & subfigillatas literas transmitteret spatio sex mensium; quod Cæsar similiter facturus ante menses duodecim sponderet, Comitatumque Geldriæ cum Zutphania Carolo Duci & suis hæredibus legitimis offerret; & si forte contingeret se sine liberis mori, succederet Cæsar ejusque heredes in Gelriæ & Zutphaniæ possessionem. Dux Gelriæ ab omnibus privilegiis & juribus quæ forte in civitates Groningam, Ommelandiam, Dammam, Drentam, Twentam & Coevoerdam prætenderet & his subjectas jurisdictiones, in perpetuum abstineret. Econtra Cæsar, quamdiu Carolus Gelriæ Dux aut unus ex liberis